



NUM CLERICORVM TESTIMONIUM FIDE
IPSORVM MVNITVM SINE IVRISIVRANDI
NECESSITATE IN NEGOTIIS IVDICIA
LIBVS SIT VALIDVM?

PRAESIDE

D. ERNESTO GOTTFR. CHRISTIANO
K L V G E L

IVR. SAX. P. P. O. IVDICII PROVINCIALIS IN LVSATIAE
INFERIORIS MARCHIONATV ET FACVLTATIS IVRIDICAE
WITTENBERGENS. ASSESSORE

A D D I S C E P T A N D V M

D. V. IVN. MDCCLXXII

P R O P O N E T

A V C T O R E T R E S P O N D E N S

GOTTHELF CHRISTIANVS KEILHOLZIVS

O T T E N D. M I S N.

W I T T E N B E R G A E

L I T T E R I S C A R O L I C H R I S T I A N I D Ü R R I I

A C A D E M I A E A T Y P I S

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
MICHIGAN
ANN ARBOR, MICHIGAN

RECEIVED
DEPARTMENT OF
ANTHROPOLOGY

UNIVERSITY OF
MICHIGAN LIBRARY



V I R I S
M A G N I F I C I S
E X C E L L E N T I S S I M I S
I V R I V M - C O N S V L T I S S I M I S
P R A E N O B I L I S S I M I S
A M P L I S S I M I S A T Q V E D O C T I S S I M I S
C O N S V L I B V S
S Y N D I C O
P R A E T O R I B V S
A S S E S S O R I I V D I C I I
S C A B I N I S
C A E T E R I S Q V E S E N A T O R I B V S
R E I P V B L I C A E Z I T T A V I E N S I S
F A V T O R I B V S A T Q V E P A T R O N I S
A D C I N E R E S V S Q V E V E N E R A N D I S

H O C

QVALECVNQVE PIETATIS ET OBSEQVII


M O N V M E N T V M

HVMANISSIMO ANIMO OFFERT

R E S P O N D E N S



MAGNIFICI
EXCELLENTISSIMI
IVRIVM - CONSVLTISSIMI
PRAENOBILISSIMI
AMPLISSIMI ATQVE DOCTISSIMI
FAVTORES ATQVE PATRONI
SVMMA PIETATE COLENDI

 Cum Zittauiam olim, urbem Lusatiae splendissimam, artiumque cultura celeberrimam, studiorum causa petierim, patrisque facultates, neque iis, quae ad vitam erant necessaria, neque etiam his, quae ad studia mea excolenda pertinere videbantur, satis

*satis sufficerent, VOS, PATRES CONSCRIPTI tam co-
miter, tantaque cum benignitate me excepistis, ut
tantorum beneficiorum memor, grati animi testificandi
publice occasionem auide optassem. Opportunam il-
lam, quam nunc inueni, summa arripio cum laetitia.
Permittatis pro VESTRA beneuolentia, ut hanc scbe-
dulam VESTRO ornem praesidio, indignam tantis no-
minibus, non tamen grata mente, quam solam his
commonstrare volui. Oro Deum immortalem assiduis
perpetuisque precibus, ut vos saluos atque incolum-
es ad seros usque annos seruet, VESTRISQVE fami-
liis nouum in dies decus nouumque splendorem addat.
Caeterum nihil magis optans, quam ut me meaque
VESTRO patrocinio VESTROQVE fauori commendata
esse non indignemini*

VESTRORVM NOMINVM
SPLENDIDISSIMORVM

cliens perpetuus
GOTTHELF CHRISTIANVS KEILHOLZIUS



Q. D. B. V.

§. 1.

Cum per triennium iurisprudentiae doctrinae operam dederim, iam vero discessuro ex Academia, saluberrimae legi Saxonicae, vt satisfaciam, necesse sit, vt Iuris aliquod argumentum publice defendam, hac aliisque rationibus motus, hancee in publicum profero schedam non gloriolae cuiusdam gratia, quam sentio fore exiguam, sed vt Fautoribus aliisque qui rationes a me postulare possunt, quibusque obtemperare fas est, meam qualemcunque adhibitam in Academia diligentiam comprobem. Quod si itaque sint, quae minus concinne, minusque accurate scripta sunt, dabunt hoc lectores et iuuentuti, et imbecillitati meae, meque minus exercitatum excusatione non indignum iudicabunt.

§. 2.

Quanta olim fuerit Clericorum auctoritas ac dignitas, multae variaeque Imperatorum constitutiones *) luculenter nobis demonstrant, nec eos fugit, qui scientiam Iuris Canonici, aequae ac Iuris Ecclesiastici Protestantium, simul cum Iuris ciuilibus doctrina pertractarunt. Multa, nisi esset contra finem scriptiois, allegarem exempla priuilegiorum at-

A 2

que



que immunitatum ab Imperatoribus Clericis concessorum, ex quibus quilibet facile intelligit, auctoritatem atque dignitatem eorum fuisse maximam, quae praeter multos alios apud Schilterum ^{b)} et Hommelium ^{c)} singulatim recensentur. Inter ista vero privilegia et hoc malunt nonnulli referre, quod clericus ad iuramentum in iudicio praestandum cogi nequeat, de quo nunc vberius tractare, propositum est.

- a) T. T. Cod. de Episcop. et Cleric. et T. 4. Cod. de Episcop. Audient. Novell. 123. d. Sanctiss. Episcop. et Deo amabilibus et reuerendis. Cleric. ^{b)} Institution. Iur. Canon. Lib. 1. T. 18. d. Privileg. et Immunitat. Cleric. ^{c)} Princip. Iur. Ecclesiast. Protell. Cap. 5. d. Immunitat. et Privileg. Cleric.

§. 3.

Multi actus in iudicio occurrunt, qui peraguntur iurisiurandi praestatione, tam a partibus ipsis litigantibus, quam etiam ab aliis personis, quae quidem minus principaliter et accessorie tantum adsunt, ob diuersas tamen causas in lite obuinentes, sunt necessariae. Sic requiritur, ut actor antequam a reo iurandum delatum praestetur, de calumnia iuret ^{d)} quod iuramentum clerici aequae ac alia, quae in litibus iudicialibus occurrunt, conantur detrectare, simulantes, ipsorum fidei pastoralis, tantum tribuendum, ut commode istius praestatione superfedere possint, in quo tamen ne ipsum quidem Ius Canonicum, quod alias Clericis nimium quantum fauet, suffragatur, quippe quod contraria consuetudine eos eximi ab isto iuramento non patitur. ^{e)} Sic porro iurisiurandi religio ut praecedat depositionem testium sanxit Constantinus M. ^{f)} quanquam Polletus ^{g)} ex Cicerone exemplum adduxit, ex quo apparet, quod iam ante tempora Constantini M. testes iuramentum testimoniale nonnunquam praestiterint. Valde hac occasione inter Doctores disceptatur, si clericus testis denominatur, num is a praestatione iuramenti immunis sit propterea, quod, ut dicunt, is testimonium fert, sub ea fide, quam semel praestitit Deo, Altari, aut Ecclesiae, siue bey denen Pflichten damit sie den Altar verwandt seynd nach ihrem Gewissen Zeugniß abzulegen. ^{h)}

- d) pr. Cod. de iureiurand. propter calumn. dando Cap. 2. §. final. d. Iuram. Cal. in Vito. ^{e)} Cap. 5. X. de Iurament. Calumn. ^{f)} L. 9. Cod. de Testibus. ^{g)} in Histor. For. Rom. Lib. IV. Cap. 13. ^{h)} Barth. Hodoget. Forensf. Cap. III. d. process. executiv. §. 16. n. a.



§. 4.

Nonnulli hanc quaestionem affirmant, et statuunt, quod clericis quoque iniuratis credatur, cum testes producuntur. Ita Facultas Theol. Ienens. d. 7. Decemb. 1599. ad interrogationem, vtrum clericus ad testimonium iurato dicendum sit adstringendus, respondit: — deo- wegen zu Bestärkung der Wahrheit allbereit von der bewussten Sache eure schriftliche und beständige Aussage übergeben habt, dabey man euch als eine geistliche Person billig wird bleiben lassen. Addiditque causam huius responsi, quam ponit in consuetudine — — In der reformirten Kirche sind viele Actus und Exempla vorhanden, da die Pastores vor die ehrwürdigen Consistoria gefordert, allda bey denen Pflichten bey welchen ihnen ihre Pfarr Kinder befohlen, sie abgehöret, und ohne leibliche Eydestellung ihre Aussage ist angenommen und beliebet worden. Simul laudata Facult. Theol. ad suam sententiam eo melius corroborandam, partim ex asser- ferto Gailii in obseruationibus: *solet talis iuramenti remissio fieri testibus illustribus aut in aliqua dignitate vel officio publice constitutis, argumentum duxit ad clericorum dignitatem, partim ad ipsa verba legis* 25. §. 1. in fin. Cod. de Episcop. et Cleric. prouocauit: *quia ecclesiasticis regulis et canone a beatissimis Episcopis antiquitus instituto Clerici iurare prohibentur.*ⁱ⁾ At enim vero nec Gailii dicta generaliter sumenda et ubique applicanda sunt, nec eius auctoritas sufficit, nec satis constat de ea, quae ibi praedicatur, consuetudine, nec tandem verba legis 25. ita, vti Facult. Theol. Ienens. ea interpretatur, sunt intelligenda. Nam §. 1. huius legis non agit de iuramento testimoniali, sed de iuratoria cautione, a qua Clericos immunes statuit. Nemo autem non videt, quod multum inter se distent iuratoria cautio et iuramentum, quod a testibus exigitur. Ex dictis enim testium ipsius rei, de qua disceptatur, veritas colligitur, sed cautio fere ad formalia tantum processus pertinet. Deinde liberati sunt ab ista cautione clerici propterea, quod soluendo esse existimantur,ⁱⁱ⁾ quae causa ad iuramentum a teste praestandum nequit applicari. Praeterea ex aliis legibus conuicimus,^{k)} istam interpretationem non pati verba, quae allegauimus.

i) vid. hoc respons. in Dedekenni Consil. Theol. Vol. 1. P. III. M. 4. S. 4. Rubr. vom heiligen Predigt Amte Num. 15. pag. 897. ii) Brunnemann ad d. l. 25. C. k) L. 26. §. 6. Cod. de Episc. audient. L. 33. §. 23. Cod. de Episcop. et Cleric. Nouell. 123. Cap. 21. §. 2. Cap. 22. in fin.





§. 5.

Eandem sententiam tuetur Balduinus ¹⁾ qui in genere affirmat quod in foro iuramentum clericis non sit deferendum, et id quidem ob sequentes ex Plutarcho in quaestion. Rom. quaest. 44. adductas rationes: 1) quod iuramentum sit tormentum, sacerdotes vero omnis torturae tam in corpore quam in anima expertes esse debeant, 2) quod non sit verosimile, eum in minimis rebus fallere, qui ne quidem in maximis ac diuinis fallere fuit deprehensus, 3) quod iuramentum in execrationem, rem vere tristem exeat, absurdum autem sit, eum qui benedictionem et salutem praedicet, ad execrationes atque diras adigi, 4) quod periurii periculum sit in iuramentis, cuius occasio sacerdoti non debeat praebere. Liceat vero nobis his contradicere. Ad primam enim quod attinet assertionem nobis videtur ea imbecilli fundamento niti, ne dicamus nullo. Nam si verum esset, quod asseritur, ne iuramentum quidem religionis causa exigi posset a clericis, quod tamen ipse concedit Balduinus, et ita fieri, vt nemo excusetur, etiamsi maxima habeat impedimenta, ^{m)} experientia docemur. Ratio enim a tortura petita semper esset eadem, quaecumque sit iurandi causa seu species. Accedit et hoc, quod iuramentum potius sit species cultus diuini, et confirmatio veritatis ⁿ⁾ ideo etiam a Pontifice indultum clericis. ^{o)} Secunda ratio prima illa infirmior est. Etiamsi enim concesserimus, quod tamen non omnino potest concedi, quod clerici in diuinis rebus non fallant, non tamen sequitur, vt illis quoque in aliis rebus politicis simpliciter fides sit habenda. Nam clerici initio officii sui promittere debent, se diuina recte et legitime iuxta diuinas leges ac ordinationes tractare atque administrare velle, si vero illi testes producuntur, tunc non vt clerici, sed prouti laici habentur, hinc pariter hi atque illi iurare tenentur, tum, quia in testimonio dicendo nil peragitur, quod ad res diuinas spectat, tum, quia sacerdotes non minus affectibus quandoque reguntur, quam alii, vti loquuntur Pingizerus ^{p)} et Finkelthaus. ^{r)} Praeterea error, si quem committunt in rebus diuinis clerici, facili detegitur negotio, cum quilibet ex sacris litteris, librisque symbolicis normam sciat doctrinae, et in quonam veritas rerum diuinarum consistat. Eodem modo autem non detegi potest falsum, quod de facto hominis cuiusdam narratur. Tertium argumentum si perpendimus, distinguendum forsitan est

est



est, an iuramentum veritati sit contrarium, an non. Si prius, potest quidem execrationis haberi species. At si iuramentum veritatem habet comitem, nullam execrationem in eo animaduerrimus, nec intelligimus, quomodo iusiurandum in rem vere tristem exire possit. Nam iuramentum non est res illicita, prouti alibi demonstratur, sed si habeat tres illos, vt dicimus, comites, veritatem, iudicium, ac iustitiam, licita, atque omnibus hominibus a Deo permilla, nec vlllo loco sacerdotibus interdicta, quod ex ipsis tam veteris quam noui Testamenti tabulis elucefcit. ¹⁾ Si itaque minister ecclesiae iusiurandum veritati conueniens praestat, tunc nullo modo ad execrationes ac diras adigitur. Ex eo vero, quod falsum iuramentum vel periurium committi nonnunquam possit, inferre non debemus, ministrum ecclesiae a iurandi praestatione immunem esse? Id enim nihil aliud, quam hoc tantum efficere poterit, vt grauiori poena periurus clericus afficiatur, cum in ipso fiat grauius ac qualificatum delictum, qui vi officii sui alios de vitando periurio eiusque graui poena ferio ac diligenter admonere debet. Ad quartum argumentum denique sic respondemus. Quilibet homo, licet minus deditus religioni, semper cauebit, ne periurium committat, etiamsi tantum ob metum poenae in periurium iure humano constitutae fieri possit, multo magis minister ecclesiae, omnem occasionem, quamuis minimam, periurium committendi euitabit. Praeterea periurium non praesumitur, neque ea intentione iuramentum defertur, vt peieret is, cui delatum est. Neque aliquid quodd in se bonum est, propterea prohibendum, quod malum exitum habere potest, metusque periurii in laicis idem est, proinde hi quoque ad iurandum admitti non deberent, quod tamen omnes concedunt. Ista igitur argumenta, cum non sint magni ponderis, concludimus, clericum neque a quouis iuramento, neque in specie ab illo, quod testibus imperatur immunem esse, quod sequentibus prolixius illustrabimus.

1) Balduin. Traët. d. Casib. Conf. L. 2. c. 9. Caf. 5. n. 4. m) Carpzou. Iurisprud. Consistorial. L. 1. T. 4. D. 50. n) Setzer d. Iurament. L. 1. cap. I. n. 11. o) Cap. 26. X. d. iureiurand. can. 5. C. 2. qu. 5. can. 3. 5. 6. C. 22. qu. 1. p) Pingitzer Quaest. Saxon. qu. 35. n. 43. q) Georg. Bear. Decision. quaest. controuerf. qu. 17. p. 92. n. 6. r) Finkelthaus. Obf. 95. §. 17. s) 2. Paral. 23. v. 2. et 3. ad Rom. 1. vers. 9. Pfalm. 132. v. 2. Hebr. 6. v. 13. 17. Leuitic. 19. v. 12. Apocal. cap. 10. v. 5.



§. 6.

Secundum Ius ciuile Clericis quoque iniuratis non creditur, quando testes producuntur. Nam Constantinus M. in lege 9. Cod. de test. generaliter praecipit, vt iurisiurandi religione testes prius, quam perhibeant testimonium, arctentur, neque in ea, si ad verba respicimus clericum ab eo eximit, neque id etiam, si ad quendam legis confugiamus interpretationem, euinci potest. Porius Imperator in citata lege hancce generalem regulam proposuit, quod testi iniurato non credatur, licet sit vir grauis, et in dignitate constitutus, et praeclarae curiae prae-fulgeat. Itaque Gailius ¹⁾ et Mynsingerus ²⁾ recte monent, quod tota substantia depositionis testium in iuramento consistat, quibus assentitur Brunemannus in Commentario ad Iust. Cod. ³⁾ vbi simul ex Rulando de Commission. Lib. 2. cap. 11. n. 1. adiecit, quod si etiam testes se excusare a iuramenti praestatione vellent, quia iam in causa iuramentum praestiterunt, vel iuxta consuetudinem loci testes non soleant iurare, a praestatione iurisiurandi tamen, his aliisque exceptionibus, se liberare non possent. Hinc ait Hyppolitus de Marsiliis in singular. 214. laudatus a Mynsingero, nec Papam dispensare posse, quod testi in iudicio credatur sine iuramento. Cum itaque iusiurandum testimoniale necessarium sit eum in finem, vt prober depositio testium, hinc frustra minister ecclesiae, testis nominatus a iurisiurandi religione, immunis praedicatur. Fortassis nonnulla in Iure Iustiniano obstat huic videbuntur sententiae. Veluti l. 7. Cod. de Episcop. et Cleric. Sed credimus saluam rem esse. Nam in hac lege Imperator Theodosius negat Episcopum ad testimonium compelli posse, cum, secundum verba Codicis Theodosiani, ipsius persona dehonoretur et dignitas officii confundatur. Ex qua tamen lege nihil aliud sequitur, praeterquam quod episcopi ad testimonium dicendum non possint cogi. Hoc ipsum vero privilegium sublatum est per Authenticae sed index Cod. de test. et Nov. 123. ex qua haec desumpta est. Verum ista ipsa Authenticae (non tamen iurent) contrarium videtur asserere. At enim vero, cum verba haec (non iurent) in Novel. 123. Cap. 7. ex qua istam authenticam Irnerius, siue quis ille fuerit, excerpserit, non inueniantur, et Authenticae, quatenus ex Nouellis sunt sumtae et Codici insertae, non probent, nisi cum Nouellis tanquam Originali suo conueniant,

niant, verba ista contraria secundum sententiam Meuii ^{w)} non sunt attendenda, qui simul addit, quod dicta authentica potius agat de Episcoporum privilegio, quibus permillum videatur, ut non tactis, sed saltem propositis sacrosanctis euangelis iurent, quod Carpzovius ^{x)} quoque et Brunemannus ^{y)} monuerunt. Itaque in Iure Ciuili clerici praesidium non inuenient, quo minus testimonium ferentes iurent.

t) Gail. Obseruat. Lib. 1. Obs. 101. n. 1. u) Centur. 2. Obs. 3. pr. v) Lib. 4. T. 20. d. Testibus p. 398. w) P. 1. D. 119. et P. 4. D. 265. n. 4. x) Iurisprud. Forens. P. 1. Const. 16. Def. 69. y) Commentar. ad Cod. Lib. 1. T. 3. d. Episc. et Cler. p. 23.

§. 7.

Ius Canonicum cum Iuris ciuilibus legibus in hac materia, vti ex multis eius locis apparet, conspirat. Primo enim Gratianus l. 9. C. de test. in suum decretum retulit, ^{z)} eoque facto tradita iuris ciuilibus iure Canonico quoque valitura monstrauit, deinde in Cap. 5. X. de testibus et in Canon. hortamur caus. 3. qu. 9. praecipitur, testes ante depositionem iureiurando tactisque sacrosanctis euangelis obstringendos esse, a quo iuramento clerici, neque in hoc, neque in supra citatis locis excepti leguntur. Potius argumentum pro nostra sententia ex Cap. 39. X. de testibus ducere possumus, vbi dicitur, quod Monachi testes sine iuramenti exhibitione produci non possint. Nec obstant verba finalia Canon. statutum est. 38. caus. 2. qu. 6. vbi legitur: *Nulla ad testimonium dicendum ecclesiastici cuiuslibet persona pulsetur.* Ergo multo minus ad iusiurandum, vti Finkelthausius argumentatur in obs. p. 1099. §. 3. At enim vero, Canon cit. agit de singulari quodam casu. Nimirum, interdicebatur in Concil. Carthag. ut iudex ecclesiasticus auocetur ad testimonium dicendum, in illa causa, in qua antea in prima instantia iudicauerat vel cognouerat. Privilegium igitur continet lex, quo quis plane liberatur a testimonio dicendo, cuius simul fundamentum in eo positum esse credimus, quod partim iudici iam officii sui causa credendum est in illa lite, in qua iudicis munere fungitur, partim contra suam sententiam vel propria facta testis produci nequit, cum pars litigans eo casu remediis gaudeat iure concessis; non autem legis sententia eo tendit, ut ecclesiasticae personae testimonium iuramento non confirmatum valeat. Quod eo minus dubium est, cum praeter iam allegatas leges Cap. Nuper § 1. X. de testibus nostrae sententiae maiorem in modum



dum faeat, in quo Honorius III. Pontifex praecipit, Clericos seu religiosos ad iuratum depositionem adigendos esse, hisce verbis: *Nullius testimonio quantumque religiosus existat, nisi iuratus deposuerit, in alterius praecudicium debet credi.* Et docet huius constitutionis contextus, quod ne ordinis ecclesiastici quidem regulae, quibus religiosus quibusdam iurare non licet, exceptionis causam praebere possint. Denique in Cap. 7. X. d. iureiurand. calumn. quod quoque clerici testimoniale iusiurandum praestare debeant, confirmatur, in quo capite Gregorius IX. praeteriens quasi, hanc quaestionem tetigit, vbi cum scribat de iuramento calumniae, iubeatque Episcopum praestare iuramentum calumniae, non tamen tactis, sed tantum propositis sacrosanctis euangelii, haec addidit verba (*vti in testimonio dicendo*) ex quibus apparet luculenter, clericum Iure Canon. quoque se a iuramento testimoniali liberare non posse.

z) Can. 3. caus. 4. qu. 2. vers. iurisiurandi religione.

§. 8.

Cum in Saxonia Ius Civile aequae ac Ius Canonicum receptum sit, quaestionem nobis propositam sine vlla dubitatione Saxonico quoque iure negare possumus; in quo conueniunt etiam quam plurimi, qui de Saxonia legibus statutisque commentati sunt, Iureconsulti ^{a)} quorum sententia non solum vsu fori recepta, sed consensu etiam Dicasteriorum approbata est. Ita Facultas Iurid. Wittenbergensis contra Superintendentem Schleswicensem Ao. 1578. pronunciauit hisce verbis: *Daß gedachter Superintendent seines Vorwendens ungeacht sein von Gegentheiß begehrtes Gezeugniß, vermittelst gewöhnlichen Zeugen Eydtes zu steur der Wahrheit zu geben schuldig, darzu er dann in Fall der Verweigerung, von der Obrigkeit durch gebührlische Mittel angehalten wird.* ^{b)} Facit huc porro generalis dispositio O. P. V. T. XX. §. 3. ubi verba sunt: *wenn es nun hierauf zur Vorstellung der Zeugen kömmt, sollen dieselben, in Gegenwart beider Partheyen, den gewöhnlichen Zeugen Eyd leisten, und/ dessen keiner, ohne beyder Theile ausdrückliche Bewilligung erlassen werden.* in qua lege verbum (keiner) clericum excipere non sinit. Cumque postea eodem loco scriptum sit: *auch da der Zeuge nichts minder ohne Eyd abgehört würde auf des Parts Ansuchen auch nach eröffneten Gezeugniß, auf vorgehenden gewöhnlichen Zeugen Eyd von neuen eraminiret werden, et ne hic quidem exemptos clericos a iureiurando testimoniali legamus, merito regulam*



gulam obseruamus: Lege non distinguente nec nostrum est distinguere. Neque possumus de eo dubitare, cum haec sententia, quod clerici quoque testes iureiurando fidem facere debeant, variis probata sit rescriptis a Serenissimis Electoribus Saxonice emissis, quae omnia apud Carpzouium *) singulatim recensentur. Ita Serenissimus d. 28. Aug. 1611. ob contumaciam duorum pastorum pronunciauit: Wir haben euren unterthänigsten Bericht wegen beschehener Verweigerung gewöhnlichen Zeugen Eydes verlesen hören; Und begehren hiermit gnädigst, Ihr wollet gedachte beyde Pastores ihres unerheblichen Einwendens ungeachtet, nach Anleitung unserer neuen Gerichts Ordnung ihr Gezeugniß vermittelst Eydes abzulegen gebührlisch anhalten. Porro Consistorium Supremum d. 28. Iun. 1619. iussit: Wenn denn es klaren Rechts und der Billigkeit gemäß, daß ein jeder so wohl geistliches als weltliches Standes der Wahrheit zu seyn seine Wissenschaft, und zwar wenn es der Sachen Nothdurft erfordert eydlich zu eröfnen schuldig; Als ist an statt 2c. Ihr wollet bemeldete Diaconos dahin bescheiden, daß sie sich dißfalls aller Gebühr förderlichst bezeigen, und sie darauf auf der Partheyen Ansuchen vor euch solche Aussage den Herkommen nach eydlichen ablegen lassen. Hoc posterius mandatum, cum alter Diaconorum contumax esse perrexisset, aliud d. 9. Aug. ej. anni secutum est, in quo summe Venerabile Iudicium pertinaci mulctam 20 R minatur, his verbis: Wenn wir uns denn unserer jungsthin sub dato d. 28. Iun. in dieser Sache gethanen Anordnung erinnern; Als lassen wir es bey derselben allenthalben bewenden. An statt 2c. begehrende, Ihr wollet M. N. bey Strafe 20 R nochmals solches auferlegen.

a) Carpzou. Iurisprud. Forens. P. 1. Const. 16. D. 69. et Iurisprud. Consistorial. L. 3. T. 2. D. 22. Barth. Hodogeth. d. Process. Executio. cap. 3. §. 16. a) Rivinus ad Tit. 17. O. P. V. En. 40. b) Carpzou. Decision. Illustr. Saxou. Decis. 77. c) Iurisprud. Consistorial. L. 3. T. 2. Def. 22. p. 696.

§. 9.

Quemadmodum igitur Clericis eodem modo, vt Laicis, nisi iuramento dicta sua corroborauerint, non creditur, ita quoque eorum scriptis testimoniis, qualia sine iureiurando scribi solent, cuiusmodi sensu quodam specialiori vulgo attestata dicuntur, nullam fidem habemus, vt Senatus Appellat. in Saxon. censuit in causa Caspar Heinrichs von Schönberg contra Caspar de Haugwitz Consil. hybern. 1677. Würde des Pfarrers zu N. Attestat sub C. eydlich bestärket werden so 2c. d) Haec tamen



tamen sententia omnino limitanda est, cum sint certae causae, in quibus testimonia iniurata clericorum probant. Pertinet huc quodammodo, quod a Superintendentibus factae registraturae intuitu ipsorum officii non indigeant confirmatione ^{e)} (die eydliche Bestärkung) dicta. Deinde nonnunquam cuiusque ministri ecclesiae attestationibus, sub fide pastoralis editis, fides tribuitur. Etenim de veritate et solemnitate baptismatis, proclamationis, benedictionis sacerdotalis, mortis et sepulturae sub fide pastoralis valide testantur, cuius ratio in eo consistit, partim quod hic intercedit clerici officium speciale, cuius intuitu generaliter iam et ab initio muneris iuramento adstrictus est; partim quod libri ecclesiastici, ex quibus haec testimonia describuntur, plenam fidem habent, uti Bergerus ^{f)} monuit et responsionibus Iuriconsultorum confirmavit. Id tamen adeo verum non est, ut probatio quoque contrarii locum non inueniat; siquidem et hic clericus officium fidemque datam fallere potest, quod si factum esse appareat, nullum est dubium, quod ne in rebus quidem, quas recensuimus, clerici testimonium ad probationem sufficiens censeatur. Quamvis autem praeter has enarratas res non facile iniuratis credatur clericis, sunt tamen et alii casus, in quibus eorum scripto attestato propter certas, quae circumstant res, aliquid fidei tribuitur. Exemplum non ita multo abhinc accidit in Curia Prouinciali Wittenbergensi in causa K. contra H. ubi H. produxerat inter documenta attestatum Pastoris sui domicilii, quod quidam I. qui erat H. antecessor, mutuum sumserit ex aerario ecclesiastico, usuraeque de hoc mutuo hucusque solutae essent. Excipiebat K. esse hoc testimonium iniuratum, quod, etiamsi recognitum, probare nequeat, nec pertinere contenta attestati ad officium Pastoris, cum cura aerarii ecclesiastici spectaret ad Inspectores. Nihilo tamen secius Term. Erhardi praesentis anni intuitu huius Documenti, quod saluis exceptionibus pro recognito habeatur, pronunciatum fuit, forsitan, quia pastores saepius rationes conficiunt, quae reddi debent de ecclesiae patrimonio. Haec tamen rariora sunt, quin possint tollere regulam supra multis legibus constitutionibusque confirmatam.


d) Berg. O. I. L. 4. T. 24. th. 14. p. 868. e) vid. die Bestägen zur Erl. Br. Ord. N. 5. f) B. O. I. Lib. 4. T. 24. th. 6. n. 2.



Wittenberg, Diss., 1770-73

X 228 32 35





3, 91
216
21
NVM CLERICORVM TESTIMONIVM FIDE
IPSORVM MVNITVM SINE IVRISIVRANDI
NECESSITATE IN NEGOTIIS IVDICIA
LIBVS SIT VALIDVM?

PRAESIDE 1792 2

D. ERNESTO GOTTER. CHRISTIANO
K L V G E L

IVR. SAX. P. P. O. IVDICII PROVINCIALIS IN LVSATIAE
INFERIORIS MARCHIONATV ET FACVLTATIS IVRIDICAE
WITTENBERGENS. ASSESSORE

A D D I S C E P T A N D V M

D. V. IVN. MDCCLXXII

P R O P O N E T

A V C T O R E T R E S P O N D E N S

GOTTHELF CHRISTIANVS KEILHOLZIVS

O T T E N D. M I S N.

W I T T E N B E R G A E

L I T T E R I S C A R O L I C H R I S T I A N I D Ü R R I I

A C A D E M I A E A T Y P I S